

† R. P. Iosephus Perrotta (1883-1937)

(Prov. Rom.)



Qui festo Sacratissimi Cordis Iesu nobis adeo mature ereptus est dilectus P. Perrotta, non inter nostrates modo erat notus — quis enim eorum, qui festis nostris bis centenariis a. 1933 et Capitulo generali a. 1936 interfuere, operosum domus generalitiae P. Ministrum non noverit? — sed etiam extra muros nostros permultos habebat amicos et admiratores. Id nunquam evidentius apparuit quam in morte quasi subitanea huius confratris 54 annorum, qui quidem in pleno aetatis flore ac vigore stare existimabatur, quanquam

quoddam malum internum (carcinoma iecoris?) eius vitae iam diu insidiabatur. Ipse mali naturam ignorabat, licet enius existentiam ex effectibus plane ignorare non posset; atvero illud reliquos studiose celabat, excepto solo domus noscomo Fr. Henrico; cui paulo ante mortem haec verba dixit: « Fecimus omnia quae facere potuimus; quodsi in cassum haec facta sint, fiat voluntas Dei! »

Iosephus Perrotta fuit germen Italiae meridionalis, natus in loco Paolisi provinciae Beneventanae, haud procul ab oppidis Arienzo et S. Agathae Gothorum, d. 9 Febr. 1883. Creator puero indidit ingenium felix promptumque, humanum animum ac tenerum. Etiam Musae infanti cecidere, cui tamen, ut aliis multis poëtis, per totam vitam fuit temperamentum melancholicum, quod dicitur. Dulcissimam genitricem solumque natale semper singulari cultu prosequabatur.

Adolescentulus, Deo in Alfonsiano Instituto vitam devovere cupiens, Provinciae Romanae collegium Scifellanum petiit. Probationis annum peregit Romae ad S. Ioachim ibique d. 15 Aug. 1905 vota novi sui status nuncupavit. Sacerdotio auctus est per Episcopum Verulanum d. 19 Dec. 1908.

Studentatu finito Cortonae per breve tempus remansit Lector litterarum Italicarum. Tum adscriptus est domui generalitiae et in S. Alfonsi aede sacra atque alibi saepissime pulpitem contionator ascendit; singulari quippe dicendi facilitate et facundia praeditus erat.

Ut erat patriae amantissimus, eidem tempore magni belli libens volensque *ministerium pacis inter arma* praestitit cappellanus militaris. Immo etiam finito bello, rogatus ab Ordinario Castrensi, simile officium, at sine stipendio, suscepit penes IV Legionem Universitariam illius militiae vo-

luntariae, quae a lictorum fascibus nomen habet. Ibi a gradu « Centurionis » paulatim ascendit ad gradum « Senioris », occupatus etiam inspiciendis cappellanis gradus inferioris. Proculdubio sic multis animabus benefacere potuit ac revera benefecit, quae alias nostro ministerio sacro non attinguntur. Eius Superiores hierarchici, Exc̄m̄s ac R̄m̄s Episcopus Castrensis Bartolomasi et R̄m̄s Consul Inspector Don Rubino e familia Salesiana, operam Patris Perrotta permagni fecerunt, ad morientis lectum statim accurrerunt, eius exsequiis interesse voluerunt; et ipso obitus die Don Rubino de hoc « dignissimo S. Alfonsi filio » ad cappellanos suos litteras dedit laudum et sinceri affectus plenas. Die autem trigesimo in sollemni Missa de Requie in templo S. Ioachim de Urbe celebrata ipse Ordinarius Castrensis supra laudatus laudes huius insignis religiosi, scriptoris, cappellani militaris eloquenter pronuntiavit.

Annis 1924–1927 P. Perrotta fuit Rector domus Mutinensis, 1927–1933 Superior hospitii in Monterone. Priore loco et verbo et scriptis instaurando magnifico templo curae nostrae commisso adlaboravit ¹. Romae autem a magistratu civili conspicuum adsecutus est subsidium pro instauranda domo nostra vetusta; praeterea religionem docebat in aliquot scholis mediis et superioribus atque Consultor erat S. Congregationis Concilii « pro officio catechistico ».

Poëta noster, qui a. 1927 carmina sua lyrica (*Canti de l'anima*) publici iuris fecit, ad famosam academiam litterarum « Arcadia » admissus est gerens novum nomen Arcadicum *Aristandro Pentelio*. Alia eius opera et opuscula recensita invenis in nostra Bibliographia, t. II, p. 313 sq. Etiam si defuncti confratris stilus in scribendo ac dicendo non nihil ab avita nostra simplicitate deflexerit, tamen, nisi S. P. N. Alfonsum eiusque Institutum sincere amasset, non toties in suis scriptis et sermonibus eius encomia divulgasset.

Inter cari confratris virtutes eminent bonitas cordis ac pietas. Incredibile est dictu, quot et quam varia servitia ac negotia ab hoc potenti Seniore militiae fascistae et Commendatario Coronae Italiae undique, praesertim ultimis temporibus, sint efflagitata; qui cum pro eximia sua animi bonitate et spiritu vere christiano Christi monitum: *Omni petenti te tribue* ² in praxim deducere studeret, vitae suae dies sic imminuisse credendus est, quamvis cum aeterno suo lucro. Neque exteris solum, sed confratribus quoque, velut Fratribus laicis domus generalitiae, gratum facere gestiebat.

Hilaritas autem illa, quae olim Patrem Perrotta toties inspiraverat ad festa familiae nostrae iocosa aliqua et ingeniosa poësi iucundiora reddere, sensim, fortasse propter hepaticum morbum, profundae cessit melancho-

¹ Cfr. *Analecta* VIII (1929), 142–147.

² Luc. 6, 30.

liae. Attamen in adversitatibus suis, ut erat religiosus pius et supernaturali spiritu imbutus, ad ultimum remedium, quod nunquam deficit, confugiebat, iuxta illud S. Iacobi: *Tristatur aliquis vestrum? oret*¹. Praesertim ultimo mense Maio saepissime conspiciebatur diu coram tabernaculo oratorii preces effundens, quasi vicinum vitae terminum praesenserit.

Peculiarem nutriebat devotionem erga animas piacularibus flammis detentas, quae devotio Romae in antiqua ecclesia Monteronensi cum noto illo archisodalicio centrum quoddam habet. Ad eam promovendam parvum quoddam condidit periodicum: *La Voce dei Morti*, postea *Ricordo e Suffragio* vocatum, et nisi quaedam damna passus esset, e suo patrimonio illi archiconfraternitati dignius altare erexisset. Saltem pientissimo filio licuit paulo ante mortem carissimis parentibus monumentum in Paolisi ponere.

Sabbato d. 29 Maii bonus P. Perrotta phaenomena morbi icteri monstrare coepit et cubitum ivit. Iam feria IV animus magis magisque eum dereliquit, postero mane oleo infirmorum inunctus est et mox delatus ad vicinum nosocomium S. Elisabeth, ubi circa h. 3 feriae VI, festi Sacratissimi Cordis Iesu, terrestrem vitam miseram cum immortalitate beata, ut sperare licet, commutavit. R. I. P.